Quelle: https://manuscripta.at/?ID=446
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

de quo in ieremia scriptum est. Et apprehen-
derunt regem sedechiam in deserto quod
est iuxta hiericho. et omnis comitatus eius
diffugit ab eo. Cumque apprehendissent re-
gem. adduxerunt eum ad regem babylonis
in reblatha que est in terra emath. et obui-
cinam immo similitudinem deleth. et res
hebraicarum litterarum. que paruo apice
distinguuntur. uel deblatha. uel reblatha ap
pellari. Iuxta mysticos autem intellectus
extendit dominus manum suam super omnes qui
heretico fuerant errore decepti. ut ter-
ram que interpretatur ecclesia. faciat deso-
latam a deserto deblatha quod in lingua
nostra ΠΑΛΑΘΗ. quod massam ficorum sonat
caricarumque inter se conpactarum. ut post que
in simulata dulcedine que non erat terre
culte. sed solitudinis amaritudinem rep
pererint. et cognoscant. quia ipse sit
dominus. Mel enim distillat de labiis mulieris
meretricis. que ad tempus inpinguat
uescentium fauces. et postea amarius felle rep
peritur. Hoc significant et duo calathi
ficorum qui positi sunt in hieremia contra
faciem templi. unus ficorum optimarum et
unus pessimarum. quorum alter ad ecclesiam xpi
refertur alter ad conuentum malignantium.

ss Et factus est sermo domini ad me dicens. Et
ss tu fili hominis. hec dicit dominus deus israhel.
ss finis uenit super quatuor alas terre. quas
nos plagas mundi interpretati sumus ori-
entem uidelicet. et occidentem meridiem sep
tentrionem. De quibus alis ysaias loquitur.
Domine ab alis. siue a finibus terre porten
ta audiuimus que in toto orbe per apostolos
gerebantur. Et de celis scriptum est. Si dor
mieritis inter medios cleros penne colum
be deargentate. et posteriora dorsi eius
in pallore auri. Ihrusalem et dominus eam appropin-

quasset. et uidisset ierusalem. fleuit et dixit.
Quotiens uolui congregare filios tuos
sicut gallina congregat pullos suos
sub alas suas. et noluisti. Iste est qui in
deutronomii cantico expandens alas
suas suscepit eos. et assumpsit eos in
humeris suis. Quidam spiritales alas terre
de quibus ad celestia subleuamur. IIII. ponunt
genera credentium. domum aaron. do
mum leui. domum israhel. domum timentium do
minum. de quibus psalmista canit. domus
aaron benedicite dominum. domus leui be
nedicite dominum. domus israhel benedicite
dominum qui timetis deum. benedicite dominum.
in aaron sacerdotium. in leui edituos et
ministros. in israhel cunctum populum. in timen-
tibus dominum proselitos intelligens. Nos autem
simpliciter explanandum putamus. quod post
comminationem montium israhel. ad omnem
terram israhel. siue x. siue xi. tribuum sermo propheticus
dirigatur. et nequaquam propheta uentura
pronuntiet. sed iam ingruentem uideat
captiuitatem. Quinto enim anno sede-
chie cepit ezechiel in babylone propheta
re captiuus. et anno nono uenit na-
buchodonosor. et obsedit ierusalem. cepitque
eam anno xi. sedechie. Ex quibus perspi-
cuum est uenisse finem. et approp[i]nquasse
non super montes et colles ru[...] pes[...]que
et ualles. sed super IIII. plagas terre. ex
omni parte israhel. non omnis terre. Quod si
dixisset. de toto mundo credi pote
rat. sed terre simpliciter quod significat
israhelis. Sic enim cepit.

ss Hec dicit dominus deus terre israhel. finis
ss uenit. finis super IIII. plagas terre.
ss nunc finis super te. et emittam furorem
ss meum in te. et iudicabo te iuxta uias
ss tuas. et ponam contra te omnes abho